



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

17. An licitè indicatur bellum Infidelibus ex titulo donationis abtentæ à
Pontifice de eorum Provinciis? Ex p. 6. t. 4. r. 18.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

verbum Dei sine vi ac fraude volentibus audire iure possemus eorum violentiam etiam armis propulsare; & bello si opus esset, illato acriter coercere; quia omnino semper manet ius integrum Ecclesie ad prædicandum in quolibet Regno, & defendendum innocentes, ut sic dicam, id est, particulares personas, quæ voluerint audire verbum, & ita nulla sit in tali casu coactio ad audiendam fidem, sed solum ad non impediendam Evangelij prædicationem, nec eos, qui voluntarie illud audire voluerint.

4. Dicendum est igitur cum Bañez in 2. 2. q. 10. articulo 10. Infideles iure compelli, ne vilo modo Christi fidem impediatur. Et ex hoc sequi, quod si Nuncius Evangelij perveniat ad externas & barbaras nationes, & impediatur prædicare populis à Principibus illarum nationum: tunc potest Princeps Christianus, ut Minister Pontificis, debellare illos Principes, ne impediatur Prædicatore: hoc enim non est compellere ad audiendum, sed defendere innocentes, quosdam quidem ad prædicandum ius habentes, quosdam verò, quia ius habent ad audiendum, si velint.

Vide etiam Molin. tom. 1. tract. 2. disput. 105. Salarium in 2. 2. tom. 1. tract. de Dominio quest. 3. articulo 1. & alios quos citat & sequitur eruditissimus Solorzanus de Indiarum iure lib. 2. cap. 20. per totum.

5. Et ad confirmationem omnium supradictorum, non desinam hic etiam apponere verba Reginaldi tom. 2. lib. 21. cap. 8. num. 94. ubi sic ait. Sex sunt casus, quibus licitum est inferre bellum infidelibus, non quidem ob solam infidelitatem, sed ob aliquam circumstantiam ei annexam. Primus est, quando infideles possident terras, quæ olim erant Christianorum; quo titulo Christiani inferunt bellum Turcis. Secundus, quando infideles inferunt iniurias Christianis, ut ipsi Turcæ solent. Tertius, quando adducant Christianos à vera Religione, quæ causa assignatur in Deuteronomio locis citatis. Quartus, quando infideles impediunt liberam prædicationem Evangelij. Potest enim tunc illis inferri bellum auctoritate Ecclesie, quæ cum à Christo potestatem acceperit prædicandi Evangelium per totum orbem Terrarum *Matth. ultim. & Marc. ultim.* is qui prædicationem huiusmodi impedit, inferat Ecclesie iniuriam, quam bello propulsare potest. Qua de re pluribus Victoria *Relect. de Indis sect. 3. n. 9. & aliquot sequent.* Qua in re immorari non est necessarium ad nostrum institutum. Quintus casus, quando infideles, qui Principi Christiano subfunt, leges ipsis ab eo præscriptas legi naturæ consentaneas observare nolunt. Sextus, quando Princeps infidelis nulli fidei subditis committit peccata, quæ non tantum sunt contra Deum, sed etiam contra proximum. Tunc enim Princeps Christianus potest ei bellum indidere, si admonitus nolit desistere. Hucque Reginaldus.

RESOL. XVII.

An licite indicatur bellum Infidelibus ex titulo donationis obtenta à Pontifice de eorum Provinciis? Ex p. 6. tr. 4. Ref. 18.

§. 1. **N**egativam sententiam mordicus tenet novissime Ioannes Gryphanius *tract. de infidelibus, cap. 24. num. 59. & sequent.* qui invehitur in donationem factam ab Alexandro sexto Regibus nostris Hispaniarum de orbe novo. Probat hanc suam sententiam: quia si illæ insulæ erant occupatæ, & suis cultoribus inhabitatæ, non poterat ipsis dominium,

imperium, ac libertas, aliæque quæ habentur in eis, non præcedente ratione aliqua, sine insigni iniuria adimi, *leg. id quod nostrum, de regul. iur. supra c. 22.* quia donatio de alieno esset *leg. 14. Cod. de donationibus.* quæ furti speciem sapit. *Gloss. in leg. 1. Cod. de adversus venditorem, leg. si pignori, de iur. cap. 1. 14. quest. 5. per tot.* Quod in proverbium transit de alieno corio latas corrigias facere. *Neuz. lib. 1. Salarium num. 128.* Multò minus ex aliena iniuria aliquid deducunt est. Ne quod detur quidem, gratum esse debent potest; quod cum qui det, ubi vellet ablatum esse sciat, ait *Livius lib. 5. Decad. 5. in fine.* Qui enim nocent aliis, ut in alios liberales sint, in eadem iniuria iustitia, ut in suam rem aliena convertant. *Cicero 1. Officior. num. 9.* Ipse Papa in *cap. 26. extra de decore, talem constituit regulam, quod nulli liceat aliena concedere præter domini voluntatem. Eodem ego ipse quoque uti de bueræ argumento leg. 1. quod quisque iuris.* Et pati legem, quam ipse tulit, iuxta *distichon Catonis approbatum in cap. cum emas de consuetudinibus. Speculator titulus de Advocat. §. 4. numer. 5.* Ut taceamus quòd tota conclusio falso præsupposito nititur: quia Pontifex dominium cuiusmodi non habet, nec unquam habuit. Hucque Gryphanius.

2. Sed omnino reiiciendus est, & dictum ius in insulis Indiarum, quod ex largitione Pontificis habet Augustissimus Rex noster, firmant individualementer Malfertius apud Mandellum *consil. 769. volum. 1.* Ginefius Sepalueda in *Apolog. pro Indiarum consilio, Camillos Borrellus de Præst. Regul. Carol. cap. 46. num. 224.* Martha de *iurisdict. Centur. 1. cap. 24. n. 31.* Paramus de *Orig. Inquisit. lib. 3. quest. 1. numer. 247.* & alij, quos citat & sequitur Solorzanus de *Indiarum iur. lib. 2. cap. 23. num. 68. & sequent.* Ad illum non pigebit: in quo etiam invenies solutionem argumentorum, quæ superius pro contraria sententia adducit Gryphanius.

3. Dicendum est igitur cum Anastasio Germonio *lib. 3. de sacror. immunit. capit. 3. num. 29.* Francisco Vargas de *auctoritate Pontific. consil. 10. num. 5. & 6.* & aliis; Summum Pontificem, non modò Civitates, Provincias, & Regna, quæ antea Christianam Religionem profitebantur, & deinde fuerunt ab infidelibus usurpatæ, posse, cui libuerit indubitanter concedere, uti recuperet, suæque faciat: sed ea etiam adicere posse, quæ Christianorum nunquam fuerunt, ad Christianæ fidei & Evangelij propagationem, & Idololatriæ extirpationem. Et quòd his rationibus motus Alexander VI. amplas istas Indiarum Occidentalium Regiones Catholicis Regibus, Ferdinando & Isabella, eorumque successoribus aduaxit, quæ ex illa acquisitione omnem omnino iurisdictionem, ac omne Imperium earundem Provinciarum sibi iure vendicant; non ipso iure, nec iure belli: sed Romani Pontificis auctoritate, quare iuste dicuntur potestati, *argumento leg. iustè possessi ff. de acquirent. possess. Vide etiam Solorzanum ubi sup. egregie disputantem de potestate Pontificis, & ad omnia contra respondentem.*

RESOL. XVIII.

An licitum sit indicere bellum Hæreticis propter suam hæresim, nisi ab Ecclesia declarentur Hæretici? Ex p. 6. tr. 4. Ref. 19.

§. 1. **A**D hoc dubium ita respondet Becanus in 2. 2. cap. 25. quest. 5. Duo spectant potestatem in hæresi. Primum, quòd sit peccatum. Secundò, quòd turbet pacem Ecclesie & Reipublicæ. Hoc potestati